







11a  
175756  
K. W. 20  
DISSERTATIO IVRIS CRIMINALIS  
DE

POENA CAPITALI  
IN FVRTO HAVD MI-  
TIGANDA OB RESTITV-  
TIONEM REI ABLATAE

QVAM  
PRAESIDE

VIRO CONSVLTISSIMO

GEORGIO SAMVELE MADIHN

JVRIS VTRIVSQUE DOCTORE

D. VI. DECEMBR. MDCCLVII.

H. L. Q. C.

FVELICAE ERVDITORVM DISQVISIONI SVEMITTIT

AVCTOR

GOTTLIEB ERNESTVS LAV

WERNIGERODANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
EX OFFICINA FÜRSTENIA.

CXXXIII.



DISSERTATIO IURIS CRIMINALIS

DE

POENA CAPITALI

IN PARTO HAVD MI-

TIGANDA OB RESTITV-

TIONEM REI ABATAE

PER SE IDE

PERO CONSILIIARI

GEORGIO SAMUEL E MADRID

IURIS UTRIUSQUE DOCTOR

DI VI DECEMBER MDCCLVII

IN REGIA UNIVERSITATE HALLENSIS

AVCTOR

GOTTLIEB ERNESTVS LAV

HERINGSDORFVS

HALLAE MAGISTRVS

PER SE IDE



ILLVSTRISSIMO

ATQVE

CELSSIMO COMITI

AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO ERNESTO

S. R. I. COMITI REGENTI

STOLBERGICO, KOENIGSTEINENSI,

RVPIS FORTIS, WERNIGERODANO

ET HOHENSTEINENSI

DYNASTAE EPSTEINII, MVNZENBERGAE;

BREYBERGAE, AIGEMONTII, LOHRAE,

ET KLETTENBERGAE

RELIQVA

ORDINIS REGII PRVSSICI AQVILAE NIGRAE

EQVITI AVRATO

DOMINO CLEMENTISSIMO

D. D. D.

DEVOTISSIMVS CLIENS

GOTTLIEB ERNSTVS LAV.



ILLVSTRISIME  
ATQVE CELSISIME COMES  
CLEMENTISIME DOMINE

CHRISTIANO ERNESTO

S. R. I. COMITI REGENTI

STOLBERGICO, KOENIGSTEINENSIS

RVIS FORTIS, WERNIGERODANO

ET HOHENSTEINENSIS



Haud adeo longe repeten-

dum est, CELSISIME

DOMINE, unde illa sub-

nascatnr ratio, a temeritate vix alias ab-

ludere visa, vt CELSITVDINEM

TVAM



TVAM leui scripto, quod ceu pri-  
mitias academiae obtulit epocha, vel  
admodum audacter ego sustineam com-  
modare meo. Mirabuntur pauci isti,  
quibus minus innotescit, quam studi-  
orum cultores de Gratia TVA sibi  
patrocinanti, & probe simul obsecun-  
danti omnes proinde gestiant. At cate-  
roquin omnino alia adhuc mihi peculi-  
aris ratio tantam fiduciam indere ap-  
prime valuit, qua hoc conamine Tibi,  
ILLVSTRISIME DOMINE,  
nunquam non probatum me itu-  
rum

)( 3



rum, haud ab re autumabam, si minus  
diuinem. Est, quod Generosa Gra-  
tia TVAE indole caufferis, vt de  
Clementia, qua familia mea abhinc  
multos iam annos mirifice exornata, &  
quippe quam æque per plures annos  
submisse & deuote exosculatus, eti-  
annum ego insigniter gloriari possim.  
Enimvero non est, quod ordinario  
modo in me concesseris, CELSISSI-  
ME DOMINE, quæ alias in plu-  
res transcribere Virtus TVA Ma-  
gnanimis poscebat, sed quod plane  
extraordinario pacto ab infantia mea  
in



in me concumulata cerno, quæ alia  
vice in singulos plures collocasse, sum-  
ma iam venit Gratia. At quid? quod  
in tantis animus humili gratia mactæ  
detentus reponeret. Præter curam,  
est studium illius, quod ipse aliquando  
significasti: summas grates TE æsti-  
maturum, si quando omnia in verum  
commodum, mihi & aliis utile, eueni-  
rent; & illud agere mearum partium  
erit, vt per omnem vitam pro TVA,  
TVAEque ILLVSTRISSIMAE  
DOMVS incolumitate ardentissima  
nuncupem vota. Quod summa rerum  
est:



est: iubeat Summum Numen, vt  
in salutem Patriæ meæ itidem his in-  
quietis ac turbulentis temporibus in  
istius insigne solamen per plures annos  
feliciter TVIS imperes subditis. Id,  
quod inde pariter meum, atque ciui-  
um meorum fortunium iudicans;  
me vltro Clementiæ TVAE com-  
mendaturus

NOMINIS TVI ILLVSTRISSIMI  
ATQVE CELSISSIMI

*Leuissimus cultor & client*  
GOTTLIEB ERNESTVS LAV.





DISSERTATIO JURIS CRIMINALIS  
DE  
POENA CAPITALI IN FURTO HAVD MI-  
TIGANDA OB RESTITVTIONEM  
REI ABLATAE.

---

§. I.



**F**inem ultimum esse, cur in societates ci-  
viles coire imperioque communi sese Instituti re-  
tio explica-  
tur.  
submittere mortales coacti fuere, ut, non  
solum iuncto studio obtineant, quod sin-  
gulorum viribus consequi humanam fere  
sortem excedebat, sed etiam contra la-  
siones aliorum tutius procedere, illatasque iniurias sine  
vindietae formidine vicisci queant, nemo iuris civilis  
universalis cognitione superbiens facile ambiget. Ne-  
que

A



que tamen optatissimus societatis finis aliis obtineri potest mediis, quam legibus, quæ reipublicæ firmissima præbent fulcra, quæque ciues veram necessitatem docent, singulorum actionibus ciuitatis nitorem atque felicitatem quantum fieri potest, obtinere, promotamque conservare. Sed proh dolor! semel eo res rediit, vt fere quilibet proprium apparensque bonum communi felicitati præferre nullus dubiter, quo factio vitia in delicta degenerare cœperunt, summaque exegit necessitas, ut mala illis proponerentur, quibus in ciuitatis viscera sæuire curæ cordique esse videtur. Inde ortæ sunt leges pœnales, indeque repetenda est iuris criminalis origo. Quum apud animum constituissem, specimine quodam publico prodire, priusquam huic valedicerem academia, ex criminali iure disserere eo magis e re mea esse videbatur, quo certius in hac iurisprudentiæ parte multa adhuc specilegia esse relicta. Non raro singulares obveniunt Dd. opiniones, atque fere ubique desideratur genuinum fundamentum, cuius auxilio criminum pœnarumque indolem diiudicare possimus. Quam ob rem præsens thema eligere, Tuoque B. L. limato iudicio eius tractionem submittere, nullus dubitavi. Indoles methodi, quæ ad certitudinem efficiendam reliquis præstantior est, hic requirere videbatur, ut variâ præmitterem, quæ demonstrationi mearum propositionum inferuiunt; non quod existimem a primis semper inchoandum esse principiis in demonstrationibus formandis, sed quia apud Dd. iuris criminalis altum est silentium de principiis generalioribus, ad quæ in dissertatione tamen prouocare fas erat. Quo enim iure meas these-



theses, quas in medium producturus sum, ex limpidis fontibus, neglectis principiis præcipuis, deriuare potuissim? Si potissima dissertationis capita communi Dd. opinioni aduersa deprehendes, B. L. non nouitatis studio, sed veritatem dicendi ardori tribuas, etiam atque etiam rogo.

§. II.

Si superior iis, qui ab eo dependent actionum liberarum regulam dicit, vel simul cum actionibus legi oppositis mala consecutaria connectit, vel non. Si prius legi *sanctio pœnalis* inesse dicitur, prouti mala consecutaria ipsa a superiore cum actionibus legibus contrariis coniuncta *pœnas* nominare solent Icti. Quare leges vel sanctione pœnali munitæ sunt, vel minus. Priori in casu *legum pœnarium*, atque posteriori in casu *legum non pœnarium* nomine veniunt.

*Legem pœnarium definitio formatur,*

Notiones hac ratione euolutæ & vsui loquendi inter Ictos sunt conformes, & naturam pœnarum perspectam reddunt. Icti enim semper in definitione pœnæ, quam formarunt, superiorem requirunt, & si dicendum quod res est, hoc etiam vsui loquendi vulgari respondet; ideoque non quælibet actionum nostrarum mala consecutaria pœnas dicunt. Natura quoque illarum hinc inde eo luculentius conspicitur, quod certius est, a profunda huius cognitione grauissima iuris criminalis capita dependere. Si malum quidem consecutarium quædam actio habet, sed non tale, quod ipse legislator statuit, tunc pœna actionem non sequitur. Finge enim hunc casum. Sempronius, qui a Titio se læsum putat, hunc ad certamen gladio componendum prouocat, Titius prouocationi desiderioque aduersarii sui satisfactorus certamen cum

A 2

Sempro-



Sempronio suscipit, aut infelici prorsus successu. Graue enim vulnus illi infligitur a Sempronio, ac dolores vehementissimos per aliquot menses sentit. Certe sunt hæc mala actionum confectaria, quæ vero nemo Ictorum pœnas dicit, quamvis forsan ex usu loquendi corrupto & minus constanti ita nonnulli dicere solent, verum si vierque delinquens a iudice malo afficitur, tum pœnas dant, tam Sempronius, quam Titius.

## §. III.

Finis pœnarum indicatur.

Pœnæ sunt mala confectaria cum actionibus legi repugnantibus a superiore connexa (§. præc.) *finis pœnarum adeoque est, ut actiones legibus contrariæ omittantur.* Verum si actiones legibus repugnantes eduntur, lex violatur, quam ob rem finis pœnarum est inuiolabilitas legum hinc inde obtinenda. His positis ad intelligendum haud difficile est. 1) *ex inuiolabilitate legum obtinenda pœnarum iustitiam estimandam esse* 2) *superiorem eo maiores pœnarum gradus esse determinare posse & debere, quo magis eius interest, leges ab illo conditas haud violari.*

Valde ieiuna est quæstio, vtrum pœnarum proportio sit arithmetica, an vero geometrica, magisque adhuc ieiunæ deprehenduntur DD opiniones, si hanc quæstionem exagitant. Sæpissime contentionum terra inter eos reciprocatur, vtrum vna alteraue proportio semper disiunctiue in pœnis infligendis, aut interdum copulatiue locum sibi vindicare possit. Superuacaneum fore existimo diuersas atque inutiles has Dd. visiones sub examen vocare. Ex Aristotelis latifundiis promanarunt, & iam illas, in fumum abire iussit L. B. DE COE-CEJI in *Jure Civ. Controv. P. 1, L. 1, quæst. 2.*

## §. IV.



§. IV.

Leges in statu ciuili vi imperii ciuilibus ab imperante Quod con-  
tinuatur. con-  
ducuntur, (per notissima Jur. publ. vniuers. principia),  
consequenter eandem rationem, qua imperium ciuile  
abfoluitur, in republica habere, manifestum est. Ve-  
rum imperium ciuile inuoluit ius ciuium actiones secu-  
ritati & saluti reipublicæ conformiter dirigendi. (per  
eadem principia); adeoque leges in statu ciuili ab impe-  
rante promulgatæ aptæ esse debent ad hunc imperii ci-  
uilibus finem obtinendum. *Legum igitur pœnalarum & non  
pœnalarum in republica ratio vltima est salus & securitas publi-  
ca promouenda*, quæ ideo vtrique legum generi commu-  
nis dici meretur. Finis pœnarum est inuiolabilitas le-  
gum seruanda (§. præc.), sed legum ciuilibus vltima  
ratio nititur salute & securitate publica necessario obti-  
nenda, quare finis pœnarum vltimus in republica non  
est, nisi salus & securitas publica in hac societate obti-  
nenda atque conseruanda.

Legum pœnalarum & non pœnalarum vna eademque obligatio re-  
spectu subiectorum, qui actiones legibus conformare tenen-  
tur. Nobis vero in hac dissertatione sermo est tantum de  
legibus in statu ciuili, quæ sub generali nomine legum ci-  
uilibus comprehendimus. In hoc significato sunt leges ciui-  
les vel *criminales*, vel *ciuiles in specie*, prout vel pœnales sunt,  
vel non pœnales. Tantum vero abest, vt fingamus obliga-  
tionem legum criminalium esse fortiozem, cum sola necessi-  
tas actionum lege determinata absoluat obligationem, quæ  
itaque per pœnas, neque augeri, neque minui potest. Fir-  
missimum agnoscimus principium, quo hic vsi sumus ad ius-  
titiam legum pœnalarum definiendam, eoque neglecto nemo  
quantitatem mediorum, quæ Imperans ad sanctitatem le-  
gum



gum obtinendam adhibere obligatur, distincte perspicie, quamvis alioquin Dd iuris criminalis operosa fungantur probatione, pœnas esse debere delictis proportionatas. Conf. MOEGLING in *Diss. de eo quod iustum est circa proportionem in pœnis surrogandis* ib. 4. Qui autem principio a nobis exposito calculum adiciere nullus dubitat, eo feliciori ausu proportionem pœnarum, quam habent ad delicta in republica obuia, diiudicaturus est, quo solidiorem iam præuentem inueniet *ILL. Dom. c. w. m. DE BODE in Diss. de æquitate priuilegii. odiosi & potestate Imperantis circa illud olim sub præsidio Viri Conf. G. B. BECMANNI in Academia Georgia Augusta defensa* §. 7-23.

## §. V.

Pœnarum  
species in-  
dicantur,

Imperans in republica eo maiores pœnarum gradus definiturus est, quo magis eius, ciuitatisque interest, leges ab illo conditas non violari (§. III.) hinc varia pœnarum genera originem duxerunt, quæ inter se gradu differunt, quam ob rem, potiores diuisiones ut explanemus dissertationis finis exigit. Pœna nimirum est malum confectarium cum actione legi opposita a superiore connexum (§. II.) quod igitur superior vel immediate, vel mediate cum actione moraliter mala connectere potest. Si illud, vel in ipsa lege pœnali iam specificè determinatum est, vel minus. Priori in casu *pœna ordinaria* dicitur, posteriori vero exinde cognoscitur *Priuilegium odiosum*, (cuius evolutionem vide apud *Ill. Dn. DE BODEN in Diss. §. præc. citata*). Si autem Imperans mediate pœnam constituit, vel iudici relinquit eam pro modo actionis facinorosæ determinare, vel non. Si prius, *pœna extraordinaria seu arbitraria* a Dd. voca-



vocatur. Jam vero malum consecrarium infert priuationem perfectionis, adeoque pro huius diuersitate etiam differre potest. Quare vel poena amissionem perfectionis corporis inuoluit, vel non. Priori casu *poenam corporalem* appellamus, posteriori vero, vel diminutionem patrimonii, vel famæ priuationem concernit. Si illud *poenam pecuniariam*, & si hoc *famosam* dicimus. Poena corporalis vel amissionem vitæ naturalis operatur, vel minus. Illo in casu *capitalis*, hoc vero *corporalis*, in specie nominatur.

Pœnarum plures quidem laudantur species, quas tamen merito hic negligendas esse censemus, partim quia dissertationis cancelli pleniorẽ pœnarum adumbrationem haud admittunt, partim etiam ad criminum animaduersionem minus aptæ sunt. Quid enim e. c. pœna conuentionis, aut testamentaria ad criminum animaduersionem? Alia quidem de solemnibus est diuisio pœnarum in ciuiles & criminales. Illas dicunt, quæ corpus puniendi directe non afficiunt, has vero, quæ principaliter corpori delinquentis infliguntur, vulgo *die an Haut und Haargehen*, vid. BERGERVM in *Elect. Jur. Crim. Cap. 2. §. 7.* & KRESS. ad C. C. art. CXXXVIII. Sed fundamento destituitur & videntur interpretes verbis abuti. Plures enim pœnæ non essent criminales, quas tamen ipsa illarum indoles ipsumque Jus Carolinum criminum animaduersioni tribuit e. c. perpetuus carcer, perpetuaque relegatio.

§. VI.

Finis pœnarum nititur inuolabilitate legum obtinenda (§. III.) quam ob rem *pœnæ id efficere debent, ut, aut puniendi in meliorem viam reducantur, aut ab aliis in republica ciuibus hinc inde exemplum sumatur.* Pœnæ quæ

Finis pœnarum capitalium notatur.



quatenus ad priorem finem consequendum aptæ sunt. *emendatrices*, quatenus verò ad alterum, *exemplares* ab ICTIS nominantur. His positis, quid de singulis pœnarum generibus statuendum ad intelligendum haud difficile est. *Pœnae nimirum corporales in specie pecuniariae atque famose utrique fini satisfacere possunt, capitalis autem semper exemplaris est.*

Vulgo fertur, pœnas, quas criminale Jus complectitur, esse aut *emendatrices*, aut *exemplares* & recte quidem, si in genere de pœnarum qualitatibus sermo est. Sed bene notandum existimo, sæpissime pœnas utramque indolem sapere, atque pœna, quæ *exemplaris* est, simul *emendatrix* esse potest, & vice versa. Quam ob rem pœnæ iustitiam gradumque determinaturus ad duplex hoc caput attendere debet. *Capitalis* autem pœnæ, quæ tantum *exemplaris* est, necessitas intelligitur ex inviolabilitate legum in ciuitate seruanda, hincque in exemplo criminum animaduersionis vnice subministrando. Aqua multarum adhuc horarum poscenda foret, si prolixiori commentatione hanc doctrinam explanaturus essem, binis tantum verbis principia, quibus hic carere nequeo, exponens. Minime me ceteroquin fugit vulgata pœnarum diuisio in publicas atque privadas, ultimique generis pœnas præsertim apud Quirites olim maxime frequentes fuisse. Sed in hac dissertatione eius rationem non habeo.

### §. VII.

Quod con-  
tinuatur.

*Singule pœnarum species, sola pecuniaria excepta, in ciuitate insignende interesse tantum publicum concernunt. Omnes enim pœnæ (quod per inductionem patet) ex inviolabilitate legum in ciuitate obtinenda custodiendaque originem duxerunt. (§. III.) Hæc autem ex publica*



blica salute securitateque dimetienda est. Verum reipublica interest, ut finis eiusdem supremus, quantum fieri potest, promoveatur, adeoque hanc pœnarum necessitatem interesse publicum suadet.

Supernacaneum certe esset, existimo, si hic prolixius disquirere velimus, quid sit interesse publicum priuatumue. Ex iuris publici universalis scientia satis superque patet. Pœna de Jure Romana priuata dicitur, quam priuatus lucratur. Quam autem alia ratione pœnam lucrari potest, nisi per ipsius applicationem patrimonium illius augeatur. Hoc demum de pecuniaria propugnare possumus, & incivile esset de pœna corporali, capitali atque famosa idem statuere.

§. VIII.

His prælibatis principiis generalioribus, quibus <sup>ca-Transitur</sup> rere non potui in adstruendis sequentibus meis proposi- <sup>ad explicat</sup> tionibus, ad ipsius thematis discussionem ultro progre- <sup>tionem fur-</sup> diendum. Quamobrem genuinum furti, eiusque specie- rum curiosus inuestigaturi sumus, quo de eius pœna, quam Legislator in hoc delicto pro eius atrocitate sanxit veram sententiam amplecti valeamus. Furtum in gen. nominamus *delictum verum, quo res aliena auferitur* *lucri faciendi gratia.* Vtui loquendi ipsique legum linguæ haud aduersa deprehenditur hæc notio, Vid. §. 1. *de obl. que ex delict. nasc.* L. 1. §. 3. *D. de furt. & C. C. C. art.*

CLVII. Secundum hanc definitionem rapina furti spe- <sup>Rapina.</sup> cies est. Ablatio enim rei alienæ, quam furtum in- quit, vel simul fit per vim possessori immediate illa- tam, vel minus, si prius, *Rapina*, & si posterius, furtum in strictiori significatu nominatur. Hac ex ratione

B

DD.



DD. vulgo dicunt, ablationem rei alienæ in furto fieri, incio domino cf. *Kress. ad C. C. C. Engau Elem. Jur. Cr.*

Ex definitione furti suppeditata ad intelligendum haud difficile est, quæ sint huius criminis requisita, quo pacto illud ab omnibus aliis delictorum generibus discernere integrum est. Dicimus *delictum verum*, adeoque sine dolo & affectu furandi non intelligitur §. 7. *Inst. L. 53. D. furt.* Hinc porro *rei propriae*, quæ propriæ furtum non patramus *L. 43. D. §. 1. D. eod. tit.* Animus denique lucri ex re ablata faciendi in fure requiritur, adeoque qui tantum nocendi vexandiue causa abstulit, furti reus non est *L. 5. §. ult. L. 53. pr. D. eod. tit. & L. 41. D. ad L. Aquil.* Rapinam quoque ipsius furti speciem esse, ipsa eius indoles manifestum reddit, & geminatum merito delictum habetur, constatum ex ablatione rei alienæ, & ex vi iniusta possessori immediate illata. Qua ex ratione olim *Jure Romano* adversus raptorem præter actionem vi bonorum raptorum alia quoque concedebatur actio furti, tam manifesti, quam nec manifesti, teste *Imperatore pr. J. de vi bonor. rapt. PAVLO* in *L. 1. D. eod. tit. VIPIANO* in *L. 5. §. ult. & PAPINIANO* in *L. 80. §. 3. D. de furt.* Cum vero rapina violenta ablatione se potissimum a furto in strictiori significato distinguat, rationem reddere possumus, cur hodie in statuenda pœna raptorum ad pretium rei ablatæ prorsus non attendatur. *Conf. KRESS. ad C. C. C. art. CXXII. §. 2. Berger in Elect. Jurispr. Crim. cap. 2. membr. 1. §. 23.*

### §. IX.

Species furti secundum Nemes.

*Delictum dicitur capitale* quando pœnam meretur capitale. Jam vero, quamvis secundum *Jus Romanum* non delictum publicum fuerit, adeoque nec tale



le, quod pœna capitali coercendum erat, tamen utique in Germania juxta Jus Carolinum & LLeges antiquiores ex rationibus satis firmis ipsi sancita est sanctio pœnalis publica. Et si ad Nemesin Carolinam advertimus, quinque furti genera mortis pœna animadvertenda esse, iussit Imperator. Hinc divisio maximæ certe utilitatis oritur inter furtum qualificatum, & simplex. Furtum nimirum vel eiusmodi circumstantias complectitur, ob quas delictum hoc capitale esse solet, vel minus. Priori in casu furtum *qualificatum* in gen., posteriori simplex dicitur. Jam vero vel talis circumstantia, quæ capitale hoc crimen reddit ex quantitate rei ablatae quinque florenos solidos excedente mergit, vel non. Si prius *Furtum magnum*, & si posterius, vel circumstantia istiusmodi generis in eo latet, quod fur iam antea bis furatus sit, vel non. Si illud *Furtum tertia vice repetitum*, & si hoc *Furtum qualificatum in specie* seu periculosum, vulgo *ein gefährlicher, gestiffener Diebstahl* appellatur. C. C. art. CLIX. Huius periculosi furti ab Imperatore tria in citato art. laudantur genera, quorum *primum* est, si furtum cum effractione receptaculi rei ablatae coniunctum, *secundum* si fur cum ascensione ex alto in ædes penetrat, *tertium*, si idem armis lethiferis furti patranda causa sumtis ædes ingreditur.

Qualificatum furtum vulgo in strictiori significato venit, ita ut furto tertia vice repetito, & magno contra distinguatur; verum, si dicendum, quod res est magis denominationis indoli convenit, si quando furtum qualificatum omne dicitur, quod capitis pœnam sequitur, sic ut simplici contra ponatur. Hac ex evolutione luculenter constare credo, quod furtum *primum*



primum & secundum, si rei furtivae verum pretium quantitatem quinque solidorum haud excedit, tantum inter simplicia furtiva numeranda sint. Differentia quoque, quae inter rapinam & furtum periculosum intercedit, collata utriusque definitione facili negotio conspicua redditur. Vis ablativa utique quidem communis est, atque in furto periculoso etiam bona laesi respicit, verum in rapina non nisi mediate omnino & possessori principaliter inferitur. Sed ardua inter DD. excitatur quaestio, utrum rapina in actibus commissa simul periculosum furtum dicendum, qua poena illud animadvertendum sit, an poena gladii aut suspendii? *KRESSIVS, l. c. ad art. 126.* optimus ille Nemesios interpres anceps quidem in definienda hac specie, poenam suspendii praefereendam censet gladio, fortasse ex ea ratione quod furtum atrocius sit delictum atrociorumque mereatur poenam. *BERGERVS* autem in *El. Jur. Crim. cap. 2. memor. r. §. 23.* coniunctum hic utrumque delictum statuit & cum *CARPOVIO* iudicis relinquit arbitrio, an poenam gladii cum impositione rotae, aut suspendium irrogare malit. Perutilis quidem controuersae huius sententiae esset discussio, qua, tamen hic *PRO BERGERI* sententia ceteroquin proniores angustis limitibus circumscripti superfedere fas est.

## §. X.

Quae poena  
in furto  
qualif.

Furtum qualificatum cum suis speciebus tales circumstantias complectitur, ob quas hoc delictum capitale est (§. praec.). Verum poena capitalis tantum interesse publicum concernit (§. VII.) adeoque poena in furto qualificato vnice ob laesam salutem securitatemque, in republica necessario tamen obtinendam statuta est. Qua ex re extra omnem prorsus dubitationem est. hanc poenam nihil plane respectus ad interesse laesi inuoluerere.



tere. Cum autem bonus Princeps non statim ab atrocioribus pœnis infligendis initium facturum est, sed a gradu pœnarum ad gradum potius ascendit, pœnamque ideo capitalem in delictis, aut leuioribus, aut non ita frequentibus haud irrogat; sane est, ut rationes perpendamus, quibus Legum Criminalium latores eo perducti, ut in fures tam rigorosum sistant iudicium. Et rerum gestarum monumentis tot gentium, tot rerumpublicarum facile commonstrari posset, si copiosam dissertationem exhibere mens esset, nimis frequentes in plurimis terris Europæarum gentium semper pessimorum hominum greges prædiorum expilandorum gratia confociatos fuisse, pœnasque illas quibus antiquiores gentes furta quondam coercerant, minus suffecisse ad prurium aliena tam nefando opere habendi refrænandum. Hisce rationibus compulsi plurimi Legislatores in furta pro variis earum circumstantiis pœnam capitalem constituerunt, & suspendium, pœnam insuper maximam infamiam adspargentem, ceu obicem posuerunt, quo magis subinde ista pœna apta esse videbatur terrorem bonorum alienorum contrectatoribus incutiendo. Quare mirum non est, cur Imperator Carolus V. in sua constitutione criminali in quinque furtorum genera, supra iam laudata pœnam suspendii dicere necessarium duxerit. Tantum autem abest, ut hæc pœna nimis duradici possit, ut potius manifestum videamus, in viua atque quotidiana experientia sæpissime furta fieri, ita ut pœna hæc, licet satis atrox, consuetudinem inueteratam rapto viuere penitus haud extinguere potuerit. Nec eandem pœnam in quolibet furto statui, sanxit IMPERATOR



TOR sed vtique ad grauiores circumstantias, quibus crimen hoc patratur, in definiendo vltimo supplicio respexit. In furto nimirum periculoso secundi & tertii generis simpliciter pœnam patibuli dixit art. CLIX., cum primum genus furti qualificati in specie talis non absolute capitale esse videbatur. Ex art. enim cit. per verba oder sonst nach Gelegenheit der Person und Ermessung des Richters, in andere Wege mit Ausstechung der Augen, oder Abhauung einer Hand oder einer andern dergleichen schweren Leib-Straffe gestraft werden soll, Imperator aperte iudicis arbitrio locum concedit in definienda pœna extraordinaria. Acriter igitur inter DD disputatur, quænam furti periculosi species interdum a rigore pœnæ ordinariæ eximenda sit? Non dicam de quorundam mitigantium temeritate, qui vnam alterumue occurrentem circumstantiam plane insufficientem esse censent ad pœnam laquei infligendam, coniunctasque semper requirere Imperatorem, si fur vltimo dandus supplicio. Etenim ex ipsius Imperatoris oratione in cit. art. refellitur cerebrina hæc æquitas, dum sacratissimus Legislator per formulam disiunctiuam omnem penitus exclusit dubitandi rationem. Sed in furto quod cum effractione receptaculi coniunctum est plurimi distinguunt inter vim violentam, & minus violentam. Priorem ad patibuli pœnam statuendam requirunt, posteriori autem in casu extraordinaria coercendum crimen perhibent. Neque hoc menti Cæsaris aduersatur, quippe qui vtitur, vocabulis in seine Behausung oder Behaltung bricht, quæ secundum proprietatem verborum in vernacula nostra de violenta effractione tantum



tantum accipienda esse, reor. Fortum autem tertia vice repetitum ex sanctione pœnali Carolina simpliciter capitale esse secundum art. CLXII. constat, modo res furto surrepta alicuius tantum pretii sit quantitatem tamen quinque solidorum non absolvens. Equidem KRESSIVS in not. z. ad hunc art. cum centum aliis etiam hic quantitatis furti magni habendam esse rationem, urget argumentis specie sua non destitutis. Verum ausu frustra- neo; spurium enim censendum est principium, quo tamen subnixæ est tota hæc doctrina, *quantitatem nimirum facti inspectionemque, quam noxium fuerit læso furtum, cum iure nature, tum quoque ex mente IMPERATORIS unicum & genuinum fundamentum ad pœnas furtorum definiendas constituere.* Si enim hæc rationes pœnarum maxime capitalium fundarent, non diffiterer, crudelem imo immanem capitalem esse pœnam, illam pœnam, qua homo ob rerum ablationem vita priuatur. Quæ scilicet proportio inter rerum pretium & vitam humanam sumenda est? Certe Imperator rationes sanctionis suæ pœnalis ex fonte magis limpido haurit, in ipso cit. art. per verba *ein mehrer Verleumbder Dieb, und auch einen Ver-gewaltiger gleich geacht* satis luculenterque expressas. Furri magni vero pœnam non semper capitalem esse, iussit Imperator, sed pro modo circumstantiarum, vel hoc supplicio, vel extraordinaria pœna coercendum statuit. In toto enim art. CLX. intentioni cura iudici varios bene diiudicandas circumstantias commendat, sequenti oratione. *So aber der erste Diebstahl gros und fünf Gulden, oder darüber werth wäre, und der Umstände, so den Diebstahl, wie oben davon gemeldet ist (nempe*  

in



in art. CLIX. vbi species periculosi furti exhibet) beschweren, keiner darbey erfunden wird, aber dennoch angesehen die Grösse des Diebstahls, so hat es mehrere Straffe, denn ein Diebstahl der geringer ist. Und in solchen Fällen muß man ansehen den Werth des Diebstahls auch ob der Dieb darob berüchtigt oder betreten sey. Mehr soll ermessen werden der Stand und das Wesen der Person, so gestohlen hat, und wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn mag und die Straf darnach am Leib oder Leben urtheilen. Und die weil aber solche Ermessung in Rechts-verständiger Zeit Vernunft stehet, so wollen wir daß in solchen jetzt gemeldeten Fall, so oft sich der also begiebt, die Richter und Urtheiler bey den Rechtsverständigen, und an Orten und Enden, wie hernach gemeldet wird, Raths pflegen mit Entdeckung der berührten Umstände, und nach solchen erfundenen Rath ihr Urtheil geben. Wo aber der Dieb zu solchen Diebstahl gestiegen, oder gebrochen, oder mit Waffen als vorstehet gestohlen hätte, so hätte er damit wie oben stehet, das Leben verwürcket. Ex intuitu huius articuli facillimo prorsus negotio conficere licet, I) furti magni poenam maiorem esse, quam in furto simplici seu paruo, tum primo vel secundo, II) in hoc furto respiciendum esse ad rei ablatae valorem, III) ad statum vitaeque genus furis & IV) quantum damni laeso per furtum illatum sit. His rite perpensis iudex criminalis demum, aut poenam capitalem, aut corporis afflictiuam irrogare debet. Si itaque quaestio oritur quando furti magni reus vltimo sit supplicio afficiendus; sic tenendum existimo: Si fur est iustae aetatis i. e. vbi doli malitiaeque



que capax est, vite haud probate, ad minimum quinque solidos usque furatus, atque ex hac ablatione laesus, ingens semit damnum, tum eius gula laqueo frangenda erit. Quoties vna alteraue harum circumstantiarum deficit, toties alia poena corporis afflictiva locum sibi vindicabit. Non igitur sola quantitas rei furtivae quinque solidos excedens ad hanc poenam sufficit, sed requiritur, ut ex hoc rei surrepra magno valore damnum haud leve, i. e. non modicam patrimonii imminutionem persentiscat laesus. Copiosus sane disputandi materiam furtum magnum subministraret, praesertim, si tam dissonas interpretum Nemescos sententias, opinionesque sub examen vocare, cancelli dissertationis admitterent. Quare nunc ad sequentia transeundum est: argumenta vero, quae obmoueri nobis possent infra discutienda obueniunt.

## §. XI.

Si delictum commissum ad Legem poenalem exigitur, vel omnes quoque circumstantiae in illo obviae, Quando poena mitigari dicatur. quas Legislator delineavit, si determinata poena infligenda est, vel non. Posteriori in casu poena in lege expressa locum iam in puniendo hoc crimine sibi vindicare nequit, mitiorque ideo substituenda erit. Hoc igitur quando iudex committit, tum poenam illum mitigare, dicimus. Cum enim delicta leuiora poenam leuiorem, atque grauiora quoque atrociolem poenam merito sumant, & poenae infligendae illarum fini satisfacere debeant, prorsus citra pulueris iactum intelligimus, poenam ordinariam, ut exemplaris, vel emendatrix sit, mitigationi obnoxiam, quoties vnum alterumue requisitorum desit.

C



*cit, quæ Legislator in eiusmodi delicto adesse assumit, quod pœna ab illo ipso determinata animaluvertendum esse, iussit.*

Mitigationis notio alia quidem plerumque ratione a DD formatur, illaque iterum in mitigationem iustitiæ & gratiæ distinguitur. Illam iudici, hanc vero Imperanti solum accensent. *KRESS ad CCC. art. BERGER in supplem. ad Elect. iur. Crim. Part. 1. Obs. 8. & Excellent. HEISLER in Diss. de iustis pœnam mitigandi caussis in criminibus §. X. & XI.* Quamvis enim res ipsa fundamento vix destituatur, rerum indoli tamen convenientius esse existimo, si ipsam aggratiationem a mitigatione penitus fecernamus. Superiori enim semper integrum pœnam promeritam ex idoneis rationibus condonare, quantumvis secundum legis criminalis rigorem crimen obuium puniendum, ipsaque iam sententia condemnatoria subsecuta fuerit. Verum iudici nihil eiusmodi indulgendum. Eius est leges criminales ad facta facinorosa secundum mentem Legislatoris applicare, nullamque ideo mitiorem pœnam statuere, quam criminis circumstantiarum indoles, arque voluntas sui Imperantis patitur. Id lubenter concedo, quod in arbitrariis, siue extraordinariis pœnis dicendis regularum iustitiam & proportionis pœnarum rationem habere debeat, sed tunc iudex neuriquam mitigaturus est, quippe cui in his speciebus pœnæ a Legislatore non præscriptæ sunt. Cæterum vltierus in hac doctrinâ occupari non est animus, & digressiones omnes eo libentius omitto, quo copiosius de harum mitigationum indole iam differuit *V. C. HEISLER in Diss. cit. §. XII. seqq.*

### §. XII.

Quum hactenus pro instituti nostri ratione satis pœnarum capitalium finem §. §. ant., ipsarumque furti qualificati specierum indolem perpendimus, ad ipsius controuersie

Restitut. rei  
furt. caus.  
mitig. non  
esse.



uerfæ enodationem properandum est. Icti ad vnum  
 fere omnes pœnam furti capitalem mitigandum ob resti-  
 tutionem rei furto ablata, illamque in arbitrariam com-  
 mutandam esse, docent. Verum rationibus argumentis-  
 que, quibus DD ad propugnandam communem hanc  
 sententiam vtuntur, rite perspectis, in omnia alia nobis  
 eundum est. Quare ipsam nostram, quam defendi-  
 mus doctrinam prius ex legitimis principiis probaturi, &  
 deinde ad argumenta contra dissentientium responsuri  
 sumus. Restitutio enim rei furtiua si contingit, vel pro-  
 fus spontanee fit, & antequam furti auctor indicii grau-  
 tus in inquisitionem generalem prolabitur, vel minus.  
 Priori in casu pœna furti alioquin capitalis remittenda  
 quidem est, sed minime propter solam rei ablata restitui-  
 tionem pœna infligenda labefactatur, quippe furtum  
 non plene consummatum est, adeoque pœna a Legisla-  
 tore sancita irrogari nequit. In hac nimirum specie sal-  
 tim aliqua ex parte cessat animus lucri faciendi ex re fur-  
 repta, cum contrectator ex tempestitua pœnitentia du-  
 ctus vero possessori reddit res, quas illi antea auferendi  
 animus erat. Manet quidem delictum arbitraria inter-  
 dum pro aliarum circumstantiarum discrimine coercen-  
 dum, furti autem omnia constitutiua non habet, adeo-  
 que eius pœna haud animaduertendum erit. Huius igitur  
 restitutionis rei ablata rationem in hac dissertatio-  
 ne non habemus. Si autem furtum plene consumma-  
 tum dicendum est, & inquisitione debito modo pera-  
 cta, de pœna furi applicanda quaestio oritur, tunc rei  
 ablata restitutio mihi insufficientis videtur ad pœnam or-  
 dinariam, reliquis tamen circumstantiis obuiis, quæ eam  
 in-



innuunt, mitigandam. Restitutio enim rei ablata, vel reparatio damni, quod alter inde perpeffus est, satisfactio-  
nem læsi vnice absoluit, nec aliud quidpiam in se conti-  
nere potest. Finis vero pœnarum maxime capitalium  
exigit, vt transgressores propter salutem, securitatemque  
violatam malis afficiantur (§. III.). Qui igitur per sa-  
tisfactionem priuatam læso præstitam neutiquam tollitur;  
consequenter extra dubitandi rationem positum esse, con-  
dicio, hanc rei ablata restitutionem iustam pœnam ordi-  
nariam mitigandi causam haud constituere. Accedit  
præterea in pœnis capitalibus, quod mere exemplares  
sunt (§. VII.) adeoque eadem semper efflagitat ratio,  
vt exemplum atrox rigorosæ horum delictorum animad-  
uersionis præbeatur, licet vel maxime læsus per re-  
stitutionem rerum furto ablatarum, aut per aliam damni  
perpeffi reparationem suam iterum recuperauerint.  
Quamobrem non satis mirari possum DD eam sententi-  
am admittere, quæ tantum diuortium a genuinis Legum  
criminalium rationibus, veraque Juris analogia arguit.  
Sane si leges Romanorum introspicimus, res nullis pro-  
fus dubiis inuoluitur. Manifeste ibi in furto concedi-  
tur actio pœnalis, etiam si læsus rem surreptam receperit.  
Ita enim Ictus CAIUS in L. 54. §. 3. D. de furt: cum  
furti actio ad pœne persecutionem pertineat, condictio vero, &  
vindictio ad rei recuperationem, apparet, recepta re nihilomi-  
nus saluam esse furti actionem, vindicationem vero, & condictio-  
nem tolli, sicut ex diuerso post solutam dupli aut quadrupli pœ-  
nam salua est vindictio & condictio. Quamuis igitur apud  
Romanos ipse actor pœnam lucraretur, inconcinnum  
tamen iis videbatur, vnam actionem altera to li, adeoque  
tanto



tanto magis in Germania, ubi nunquam priuatum delictum fuit, poena a legibus statuta infligenda est, etiam si restitutio rerum surreptarum fit, aut verum earumdem pretium refunditur. Ad hanc semper iam ipso iure obligatus est fur si in bonis adhuc superest, aut res furtiua apud eum eiusque familiam concipitur. Ex rationibus quoque ipsius sanctionis poenalis, qua IMPERATOR quinque furti genera capitalia esse iussit, luculenter manifestum est, quare IDEM delictum hoc morte expiandum esse, necessarium duxerit, quae partim in eo latitat, ut Respublica a pessimorum hominum colluue purgaretur, partim, ut alii ciues horrendum exemplum inde capiant, atque crimen istiusmodi generis tanto cum dolo, tantaque malitia coniunctum fastidiant ac exsecrentur. Haec omnia per restitutionem rerum furtiuarum non tolluntur, adeoque, quamuis ea subsecuta sit, rigori poenae capitalis utique adhuc locus concedendus est. Certe VIPIANVS in L. 65. D. de furtis eandem fouere videtur sententiam, & omnino si secundum Jura sui temporis delictum hoc publicum atque capitale fuisset, diserte illum quoque propugnasse, censendum est, furtum manere capitale, etiam si bona ablata ad verum dominum reddissent, nullaque ratione illud hinc inde degenerare in crimen mitius poniendum. *Qui ea mente alienum quid conreclauit, inquit ille l. c. ut lucri faceret: tamen si, mutato consilio, id domino postea reddidit; FUR EST. Nemo enim tali peccato penitentia sua nocens esse desit.* Neque, si dicendum, quod res est, ipse AVEGVSTVS contrarium sanxit in sua Nemese, quantumuis DD ex communi sententia verba Imperatoris in art. CLX. wie schädlich dem



Beschädigten der Diebstahl seyn mag, vel maxime ita interpretentur, vt exinde probare velint, restitutionem rei ablatae iustam exhibere causam, vi cuius poena ordinaria alioquin capitalis nunc remittenda esset. Verum longe alienam esse hanc interpretationem a mente Caesaris, iudico. In cit. enim art., prouti §. X. monstratum est, furti magni qualitatem poenamque definiturus est. Inter alia duo constitutiva ad hoc furti genus requirit Imperator I), valorem rei furto ablatae quinque solidos excedere II), laesum exinde magnum sentire damnum. (§. cit.) Quare quidem Legislator ad magnitudinem damni in statuenda hac poena simul respicit, sed illa solum ex ratione, qua iudex disquirere possit, vtrum atrox hoc delictum sit, omniaque furti magni requisita habeat. Quantumuis igitur deinceps res tali furto ablata laeso restituatur, tamen vtique furtum, quod semel magnum erat, non desinit magnum esse. Et enim si crimen commissum, iudicis est, delinquentem ad poenam promeritam sustinendam condemnare & laeso auxilium ferre in reparando damno, quod sentit. Hisce igitur positis, quae natura delictorum poenarumque exemplarium rationes iubent, facili prorsus negotio intelligimus, restitutionem rei furtiuae eo minus in reliquis furti capitalis speciebus non sufficere ad mitiorem poenam irrogandam, quo grauioribus ibi manifestantur circumstantiis, poenam capitis exposcentes. Id lubenter concedimus, si ordinationes criminales in Prouinciis passim mitigationem ex hoc capite introducere, tunc omnino rigori humani ac Carolino nobis sermo est.

§. XIII.



§. XIII.

Quæ iure Carolino statuta est de furibus, ultimo supplicio afficiendis sanctio pœnalis; eam infinitæ interpretum limitationes, & restrictiones infirmarunt, & debellarunt, vt ad paucissimos sanè applicetur mortis pœna, atque ideo hæc pœna, quam facile effugere credunt, malevolis nullius plane terroris; ita vt iam LEYSERVS spec. 536. med. 13. 18. conquestus sit de iniusta in fures indulgentia, misericordique intempestiua. Quam ob rem non ex Legislatoris voluntate, sed ob Ictorum auctoritatem sententiam repugnantem vsu forensi firmatam videmus. Verum tantum abest, vt hæc nimia interpretum auctoritas iudices constringere possit interpretationem amplecti, quæ indoli necessitatique pœnarum exemplarium contradicit, vt potius eorum officis consentaneum esse, dicendum sit, menti Imperantis, cuius nomine in crimina animaduertunt, conformen legum pœnaliu applicacionem suppeditare. Quare nostrum esse iudicamus, priusquam dissertationi colophonem imponimus binis tantum verbis DD. rationes sub incudem vocare. Illas plena manu in medium protulerunt Daumviri celeberrimi FERDINANDVS AVGVSTVS HOMMEL, cuius masculam in Jure scientiam alioquin merito suspicio, in diss. de mitiganda furii pœna ob restitutionem rei ablata, & JACOBVS FRIDERICVS LVDOVICI in diss. de restitutione rei furtivæ cap. II. Palmarium, quo vtuntur argumentum est, quod ducant ex sua interpretatione art. CLX. Constitutionis Carolinae, & quidem ex verbis, mehr soll er messen werden der Stand, und das Wesen der Person, und wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn möge C. C. Concludunt inde, sicut restitutione satisfactum esse lesor, ipsique

Rationes  
dissentiant  
um allegantur.



que furum amplius non damnosum, ideoque pœnam capitalem cessare, & in aliam commutandam esse. HOMMEL l. c. §. 6. & LVDOVICI l. c. §. 2. Sed totum prorsus argumentum, concidit, si consequentia negatur. Ex rationibus enim indubiis euictum esse, confido, §. VI. & VII., pœnam capitalem exemplarem esse, publicumque tantum interesse, concernere. Ex inuersa igitur ratione argumentari licet; vbiunq; in crimine puniendo fini pœnarum rei publicæ læsæ nondum satisfactum est, ibi non cessat pœna publica, atque capitalis; atqui per restitutionem rei ablatae fini pœnarum & rei publicæ violatae nondum satisfactum est, consequenter etiam non potest cessare pœna publica, sed secundum legum pœnalarum rigorem infligenda est. Vtriusque antecedentis propositio veritas primis Juris Criminalis principiis iustificata est, quare etiam in diuersis prouinciis legali sanctione definitum est, pœnam ordinariam in quibusdam furti speciebus nihilominus locum inuenire, quantumvis res furto ablata restituta sit, e. c. in furto equorum in terris Brunsvicogæ Augustæ decus exhibet in splendido opere *de abigatu & furto equorum* c. 3. §. 104. Hanc ob causam etiam in Saxonia Electorali Constitut. 32. dispositum offendimus, ablatae rei restitutionem ad mitigandam pœnam tum deum utilem esse, si restitutio ex vera furis pœnitentia & ante inquisitionem motam contingit. Optandum sane esset, hanc sententiam in omnibus Germaniæ foris vsu receptam esse. Jam reliqua, quæ obmoueri possent dubia, & itidem ex principiis ante stabilitis discutienda forent, ob abitum improviso accelerandum resecabimus, & scriptum, cuius fines vltro ponere constitutum erat, hic terminabimus.

NOBL



PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE  
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. D.

JO. CHRISTOPH. WILH. STECKIUS  
IURISCONSULTVS ET ANTECESSOR.

Ego vero inprimis laetus specimini doctrinae Tuae, quod edis, tu-  
culento adplaudere debeo. Licuit mihi proprius intueri  
dotes animi egregias, industriam, morumque decus & elegan-  
tiam, quae Te sponte omnibus bonis es commendaturus. Ta-  
lem ego Te futurum esse confido, qualem Te cognitum confestim  
iudicavi. Honestissimis in Fridericiana studiis, literisque  
optimis assiduam nauasti operam. Ciuem igitur Te & Tuis &  
reipublicae rationibus utilissimum fore auguror, atque praesugio.  
Certissima Te manent bonae indolis premia. Gratulor hanc,  
que eximia est, letitiam MATRI VENERANDAE, &  
PERILLVSTRI, quem Deus in Academia decus seruet,  
AVVNCVLO. Tibi vero prosperos & auspicatos rerum  
Tuarum, conatumque euentus sincere precor; Ceterum nihil  
mihi suauius esse incundiusque velim credas, quam si cognouero,  
mei memoriam Tibi curam esse & commendatam. Vale. Ser.  
Hala Magd. d. III. Decembr. MDCCLVII.

D

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

PRAESES.

**S**i ad laudem exercitationis Tuae, quae ipsa argumenti fecunditate non minus, quam eius profunda atque eleganti discussione satis encomiorum meretur, aliquid addere licet, illud ipsum est, quod Tibi, principiis meis prorsus imbuto, latibunda mente nunc felices auspiciasque studiorum Tuorum progressus gratuler. Toti Tua debetur industria, hac dissertatio, nec mihi quidquam vindico, prater voluntatem illam perlegendi, eximiumque honorem, cum me elegeris animi Tui praesentia, quae emines, in diluendis dubiis testem arctiorem. Arduum opus erat contra torrentem disputare, sed singularis Tuae Juris scientia hanc selectionem exposcebat. Potuisses fateor, PRAE-  
STANTISSIME LAV, copiosius disserere, atque uberiori apparatu specimen Tuum exornare, sed cum in magnis iam voluisse satis erit, ita ego penitus sum conuictus, Te & nerve atque concinne disputasse, & solida eruditionis specimen haud vulgare exhibuisse. Eo alacrius igitur Tuo me iungo lateri, quo praestantiorum ingenii TVI indolem, atque egregias animi doctes cognosco, quas Divina Providentia plena manu in TE contulit, quibus quoque tam provide in stadio academico decurrendo eam eruditionem consecutus sis, quae TVA aetate longe superior videtur. Maximo enim studio ex felici moderamine Aun-  
culi TVI optimi, Perillustri FLOERCKII Icti summi, uberrimos collegisti fructus & prater acroases Illustrium Antecessorum NETTELBLADTII, HEISLERI, STECKII, omnibus, quas habui, praelectionibus tanto ardore, tanta alacritate, atque  
sollerti-



*sollertia interfuisti, ut nesciam an admirandas has virtutes  
laudibus satis extollere possim. Quare potius ad plaudentis tan-  
tam defungar officio, & mihi non possum non gratulari amicum  
candidum atque tantis ingenii dotibus instructum, cuius ex quo-  
tidiana fere consuetudine summam semper cepi voluptatem.  
Atacte igitur eximia hac Tua virtute esto, utere semper auspica-  
to rerum statu, neque, quod facis, semper amare perge. Scrib-  
in Regia Fridericiana d. V. Decembr. MDCCLVII.*

NOBILISSIMO ATQVE DOCTIMO

## RESPONENTI

AMICO, QVEM CVPIAT, SIBIQVE SPONDEAT  
INTEGERIMO,

S. P. D.

JOACHIMVS JACOBVS REINECCIVS

J. U. D. SOCIET. CANT. ET SCIENTIAR.

SAXON. ADJ.

**E**tsi vero, Vir Prestantissime, non sumis, a cuius commen-  
datione vllum momentum possit accedere rebus TVIS, adhuc  
egregie peractis in hac Musarum sede, qua quomocumque celebritate  
fama facile vincat: voluisti tamen, & a me esflagitasti, pro eo, qui  
an TE est animi candore, eaque fiducia, qua non dedecet optimum  
quemlibet, qui hominum de se existimationem haud temere spernat,  
ut non tantum spectatorem & auditorem me praeberem concertationis  
publicae, qua defendere instituas Specimen argumenti haud ita vulga-  
ris, TVO Marte elaboratum, doctoque scriptum, sed ipsemet ex par-  
tibus aduersis stans Teceam experirer, quod mihi sane non potuit non

D 2

274-



gratissimum accidere. Vellem sane tam bonam & frangi inuolem, cum  
raris ingenii dotibus ac iudicandi vi, non nunc primum mihi inno-  
tuisset, quae alias ansam dare potuerint, eam pluribus verbis ornan-  
di. At quid opus sit, ubi rerum ad sunt testimonia? Mearum ta-  
meti esse puto, ne committam, quo minus & absolutos annos acade-  
micos, studiorumque cursum non inauspicato confectum TIBI grati-  
ter. Cautione ceterorum, qua utendum sit, eam TV quidem, Vir  
Præstantissimo, hætenus non omnino neglexisti, cuius rei testimonium  
ipsa TVA meditatio præbere possit, quæ rem tractat in foro toties  
viventem, ubi decernendum sit, ob quas causas furti pena legibus  
sancta recte aut instigatur, aut mitigari queat. Quidni igitur spem  
facias certam, fore, ut ea via pergas, neque facias aliud, quam quod  
minetur Pragmaticum olim in capiendis consiliis satis providum &  
circumspectum, inque rebus agendis exercitatissimum. Verum tamen  
illa, ut in mentem venerunt, festinanter ad TE perscripsisse, haud  
pigebit olim, si aliquando expertæ virtutis, honores, qui virtutem  
comitantur, adeptus, quos & reliquos fructus auguror amplissimos,  
certiorem me feceris, quam non iniucunda sit eorundem recordatio.  
Ito igitur, Vir Præstantissime, his copiis, quas sapientiæ studium sin-  
gulare secum fert, abunde instructus, in rem bonam: ito salutarium  
pars sedet ad clavum reip. & qui has terras mirifice ornant varia  
eruditione, eademque iuvant prudentia & consiliis, ut ab ipsis  
exempla capias, quæ ad imitandum per fore accommodata TIBI  
prævideas. Neque vero ire TE iubeo, veluti rerum Tuarum sata-  
gentem, ne non & has agas feliciter, neque omnino hinc abeas prius,  
quam constitutum TIBI fuerit memorem in me animum præstare, &  
quod TE facere credam, me amare. Vale. Dabam Hule MAG-  
burg. ipsis Kalendis Decembris, Anno MDCCCLVII.

MON-



ART MONSIEVR

Les tendresses d'amitié, que Vous avez eü la bonté de m' accorder, m'ont procuré jusqu'ici la douce satisfaction de jouir des charmes de Votre agreable conuersation. Mais c'est à présent le triste moment, où le Ciel nous separe, pour Vous faire cueillir les fruits de Vos vertüs, & de Vos rares talens. La perte, que je vais faire, me rendroit inconsolable, si je n'étois parfaitement persuadé, que cette separation ne portera aucun préjudice à notre amitié, & que Vous serez toujours le sincere ami de celui, qui fait profession d'être avec un attachement inuiolable

MONSIEVR

Votre

très humble & fidel ami  
& seruiteur

J. G. BRAVN.  
de Berlin. Opposant.

Halle  
le 5. me Dec.  
1757.

D 3

CARIS-




# CARISSIMO FRATRI

S. P. D.

GODOFREDVS SAMVEL LAV.

**J**ctum non solum LL. memoria tenere, sed & in rationes earum inquirere debere, ipsi iuris auctores prudentes monuerunt in l. 17. ff. de LL. Nam sane, si quis mille casus, eorumque decisiones memoria comprehenderit; tamen id ei semper continget, ut mille alias quaestiones in vita humana obuenientes, nec legerit unquam, nec memorie mandarit. Quapropter Jctus ita percepta artis suae habere debet praecpta, ut iurium & casuum singulorum rationes & principia intelligat, eaque in promptu habeat axiomata, ex quibus quaestiones omnes enodare possit. Cui maxime inseruit & magis plerisque si probavit ratio doctrinam distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur, & quibus postis essent, quaeque non essent consequentia. Quorum cum in hoc TVA Dissert. maximopere rationem habueris, non potuit fieri, quin thema propositum & solide pertractaueris. Congratulor TIBI igitur & valde letor de specimine cognitionis TVAE in hoc scientiarum genere. Quod reliquum, ex intimo animi affectu opto, ut Deus TE seruet incolumem & conatibus TVIS annuat.

Dab. Hale d. 4. Decembr. MDCCLVII.





i  
d  
f.  
om  
ones  
an  
or  
gat,  
oda  
do  
con  
uer  
ram  
igne  
qua  
cum  
feri  
ulor  
E in  
Fe. Su  
iat.









ULB Halle  
004 931 394


3











xxiii. 22.

11a  
175756  
17.20

DISSERTATIO IVRIS CRIMINALIS  
DE  
POENA CAPITALI  
IN FVRTO HAVD MI-  
TIGANDA OB RESTITV-  
TIONEM REI ABLATAE

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO CONSVLTISSIMO  
GEORGIO SAMVELE MADIHN  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE  
D. VI. DECEMBR. MDCCLVII.  
— H. L. Q. C.  
PVBlicAE ERVDITORVM DISQVITIONI SVEMITTIT  
AVCTOR  
GOTTLIEB ERNESTVS LAV  
WERNIGERODANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
EX OFFICINA FÜRSTENIA.

cxxxiii.